



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 27. Sessio VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](#)

Sæcul. XV. hiisque solemnis de more absolutis, rur.
A.C. 1432. sus promulgabatur quartæ Sessionis de-
 cretum, quo sanctum, si durante Conci-
 ilio sacram Sedem vacare contingeret,
 absque Synodi consensu ad novi Ponti-
 fices electionem procedi non posset, ele-
 ctionis tamen terminus ad sexaginta dies
 a tempore, quo Sedem Apostolicam va-
 care innotuerit, computandos proroga-
 retur, eo fine, ut absentes quoque Car-
 dinales commode ad locum Synodi ac-
 cedere, ibidemque conclave ingredi va-
 lerent. Alio decreto Synodus sanctivit,
 ut omnes, quibus de beneficiis Cardina-
 lium rebellium jus disponendi competit
 libere per viam collationis, præsentatio-
 nis, electionis, seu cuiuslibet alterius pro-
 visionis, etiam si essent Ecclesiæ Metro-
 politanæ, Cathedrales, aut alia quæ-
 cunque beneficia, quæ in titulum vel
 commendam a prædictis Cardinalibus
 possidentur, disponere valerent, ac o-
 mnia ista beneficia ad suos ordinarios
 Collatores revoluta censerentur, reserva-
 tionibus Apostolicis minime obstantibus,
 ablata etiam Pontifici de beneficiis eorum,
 qui Synodo intersunt, disponendi facul-
 tate.

§. XXVII.

Sessione octava Basileensis Synodi.

Id. ib. p. 497. & seqq. **D**ie Jovis decima octava Decembris
 habi-

habita est Sessio octava; in ea Patres ~~secul.~~ XV.
ante omnia exponunt, quod Synodus, li- A.C. 1432.
cet secundum ordinem juris, & attenta ma-
gna Eugenii Papæ, ac Cardinalium absen-
tium contumacia, procedendum fuisse ad
declarandum ipsos esse contumaces, & alia
juris remedia opportuna; volens tamen age-
re cum omni mansuetudine & lenitate, &
si forte resipiscerent, expectare: maxime
attendens quod Romanorum Rex jugiter a-
pud eundem Eugenium & Cardinales insta-
bat ambasiatis, literis, & tractatibus, usque
in praesens supersedit ab ulterius proce-
dendo. Cumque jamjam lapsi sint tres men-
ses, tamen adhuc sexaginta dies Papæ Eu-
genio concedit, ut cætera (in III. & VI.
Sessione) contenta adimpleat cum effectu,
& dissolutionem Synodi absque mora re-
vocet. Alioquin absque ulteriori monitio-
ne seu citatione Synodus contra ipsum pro-
cedet: adjiciens, quod, si Eugenius, dicto
termino sexaginta dierum pendente, ali-
quas promotiones seu collationes Benefi-
ciorum fecerit, Synodus eas casset, irritet,
& annullet. Mandat præterea omnibus
Prælatis, & Officiariis, ut post lapsum
dicti termini infra viginti dies a Curia
Romana recedant sub pœna privationis o-
mnium suorum beneficiorum.

§. XXVIII.